

Gregorius P.P. XVI.

Dilecte Fili Religiose Vir salutem et apostolicam Benedictionem.  
 Non mediocri quidem laetitia tuae Nos affecerunt Litteræ Kalendis Decembris superiore anno date, atque intimo pietatis, et obsequii sensu conscriptæ. Ex illis enim accepimus ad multa et clarissima egregia religionis monumenta Carissimi in Christo Filii nostri Ferdinandi Austriae Imperatoris Hungariae Regis Apostolici, ac Bohemiae Regis. Illustris illud quoque accessisse, ut ipse pientissimus Princeps singulari benevolentia Benedictinum Ordinem prosequens. Tibi significaverit se vel maxime optare, ut Religiosa tua Familia in Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini Griesæ ad Bonenum in Tirolensi Comitatu ac Tridentina Dioecesi situm transferatur. Quæ eximia religiosissimi Principis erga Benedictinum Ordinem beneficentia summam cordi nostro consolationem attulit. Et enim acerbissimas ejusdem Ordinis in nonnullis Helvetiæ Pagis acerbitates diu multumque dolentes, nunc insigni incliti illius Principis munificentia novum Ordini ipsi domicilium, ac sedem præberi conspicimus, quo in adversis Helvetiæ rebus confugere posset. Cum autem ob plurimas, gravissimasque causas in ipsis tuis Litteris expositas nihil deliberandum existimaveris, antequam Nos accuratissime certiores faceres, nostramque sententiam cognosceres, tum vehementer a Nobis efflagitasti, ut indicare vellemus quid Tibi, in hac re, Dilecte Fili, esset peragenendum. Nos vero, ut ejusmodi negotium quam consultissime ageretur, illud peculiari Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. C. Cardinalium Congregationi examinandum commisimus. Itaque auditis consiliis, acceptis que suffragiis eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum, ac re omni a Nobis serio perpensa, Tibi, Dilecte Fili, significamus commemoratum Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini Griesæ a Te excipi posse sub titulo tamen Prioratus, ac tamquam monasterium pro tironibus instituendis, ut Religiosa tua Familia iis ideo selectisque monachis vigeat, et floreat, qui in decedentium locum suffici possint. Tibi autem eodem in casu erit innovanda de-

52

claratio ad Abbatiae murensis jura sarta tecta tuenda. Atque illud  
in primis studio quam licet maximo; et omni vigilancia cures ope-  
ret, ut in novo monasterio Monachi eo sint numero, iisque doti-  
bus præstent, ut memores vocationis eorum, ac virtutum ornatu  
fulgentes tum regularem disciplinam, tum communem vitam in ex-  
emplum religiosissime servare studeant. Iam vero postquam ea omnia  
fuerint expedita, quæ ad hoc negotium conficiendum pertinent, Tuum  
erit, Dilecte Fili, hanc Apostolicam Sædem iterum adire, quo de hujus-  
modi Monasterii ad tuum ius translatione ceterisque rem ipsam  
spectantibus debitam, atque opportunam sanctionem consequi va-  
leas. Denique præcipuam nostram erga Te caritatem denuo te-  
stamur, et confirmamus, ac cœlestium omnium munierum auspi-  
cem Apostolicam Benedictionem Tibi ipsi, Dilecte Fili, tuisque  
Monachis per amanter impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 7. Septembris an: 1844.  
Pontificatus Nostri . Anno . Decimoquarto

GREGORIUS PP. XVI